PA 6514
.N2 B4
Copy 1

DE GN. NÆVII VITA ET SCRIPTIS.

Naevius

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE GRYPHICA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXIII. MENSIS JUNII ANNI MDCCCLX

HORA XI.

PUBLICE DEFENDET

MAXIMILIANUS JOSEPHUS BERCHEM

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

B. SCHULZ DRD. PHIL.

L. RUMMLER STUD. PHIL. SEM. PHIL. SENIOR.

K. GENSICHEN STUD. PHIL. SEM. PHIL. SOD. ORD.

MONASTERII,

TYPIS COPPENRATHIANIS.

PA6514
.N2B4

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

G. F. SCHŒMANNO

M. HERTZIO

C. B. SCHLUETERO

OPTIME DE SE MERITIS

HUNC LIBELLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE GN. NAEVII POETAE VITA.

Multis virorum doctissimorum studiis eo iam pervenimus ut si quis de veteribus poetis Latinis scribere constituerit ei non opus sit multis verbis quibus locum suum hisce studiis vindicet inter cetera studia antiquitatis; oleum enim perderet qui hinc lauream reportare vellet. Namque nuper vidimus viros nostri ordinis illustrissimos summo honore versari in hisce studiis, qui in omnes partes ingenii lumen effuderunt tenebrasque illustrarunt. Hi igitur quod multis locis passim de Naevio poeta censuerunt colligere propriaque Minerva hic illic mea adicere constitui, ut quam perfectissimam effigiem huius poetae redderem cuius laudes praedicare nunc nolo quum ipsa nostra disputatio, credo, eas luce satis clara ostensura sit. Nec metuo ne quis credat me noctuas portare Athenas, quod Schuettius atque Klussmannus eodem munere functi sint quod ego suscipere coner, uterque enim carebat iis rebus quae nuper demum in lucem prolatae sunt; Klussmannus praeterea, quamquam multas res attulit quas grato animo accipere debemus, ipse nulla alia ratione in iis digerendis usus esse videtur quam ut summa audacia sententias proferret quae nullo modo teneri possunt. Hisce vero in quaestionibus animo cupido nihil profici sanus quisque intellegit. Totam igitur rem instauremus ut bene discernamus quid certum quid probabile quid falsum sit.

Atque primum quidem de ipso praenomine quaestio oritur utrum Gaius fuerit an Gnaeus. Plerumque nullum Naevii praenomen in grammaticorum libris legimus, duobus vero locis nominatur poeta G. Naevius, apud Gellium N. A. 17, 21, 45 et apud Festum p. 352 M. Sed quum Festus nullo alio loco Naevio praenomen addiderit, hic vero vocabulum sic praecesserit, facile unusquisque concedet, hic quoque nullum poetae praenomen extare sed dittographiam literae *c*. Solus igitur reliquus est ille locus Gellianus contra quem etsi non multi tamen graves loci Gn. praenomen poetae vindicant, ipse enim Gellius errorem corrigit[1]) et Charisius[2]). Semel denique apud Charisium[3]) in libris legitur. „Exerciti. gn. naeuius belli Punici libro 1" quo loco editio princeps exhibet „genetivo" ceteri vero editores recte praenomen agnoverunt.

Quod Schüttius[4]) etiam ad effigiem provocat cui subscriptum sit „Cn. Neuius Cap." iam ipse recte vidit quam debile hocce sit testimonium quum multis demum post Christum natum saeculis „Naevius" scriberetur sola litera *e*, ut haec statua aut supposititia sit aut alium Nevium exprimat[5]). Sed iam carere possumus hoc dubio teste, quum sciamus Gn. Naevium poetae nomen fuisse.

Merula etiam „Sanga" cognomen Naevii fuisse affirmat quibus nugis ne retineri nos patiamur ablego lectores si qui erunt tantum ad ea quae Klussmannus exposuit[6]).

Hunc igitur Gn. Naevium omnes fere una voce Campanum fuisse adfirmant, Klussmannus vero[7]) ausus est statuere Romanum illum fuisse; in qua re diiudicanda destituimur

---

[1]) Gell. N. A. 1, 24, 1 et 5, 12, 7 H. — [2]) Charisius p. 229 K. — [3]) Charisius p. 128 K. — [4]) Schütte de Cn. Naevio poeta particula prima Herbipoli 1841 p. 8. — [5]) cf. Klussmannum, Cn. Naevii poetae Romani vitam descripsit etc. Ern. Klussmann Jenae 1843. p. 6. — Memini me in prioribus Aeneidos libris legisse dativum adiectivi feminini ex. gr. „probae" quo loco Servius adnotat, dativum eum esse non adverbium, unde apparet iam tum dativum scribi solitum esse ut adverbium per *e* non per *ae*. — [6]) Kl. p. 5. — [7]) Kl. p. 5. sqq.

omnibus fere veterum testimoniis. Qui vero Campanum Naevium fuisse dicunt, utuntur hisce Gellii verbis [1]):

„Epigramma Naevii plenum superbiae Campanae quod testimonium esse iustum potuisset nisi ab ipso dictum esset:

„Inmortales mortales si foret fas flere
Flerent divae Camenae Naevium poetam
Itaque postquam est Orci traditus thesauro
Obliti sunt Latina Romae loquier lingua.“

Hoc solo loco fulcitur illa sententia quae Naevium civem Campanum facit nisi forte illam Schüttii effigiem accire vis, quae Naevium Cap. nominat.

Campana autem superbia non solum significat arrogantiam Campanorum, quae est Welckeri sententia [2]) sed etiam eam quae est similis arrogantiae Campanorum quae in proverbium abiit [3]).

Itaque omnes fere viri docti nunc quidem consentiunt hoc loco non demonstrari Naevium esse Campanum [4]).

Atque adducor equidem fere in Klussmanni sententiam, nam non solum mirum est Hieronymum ad Eusebii chronicon quum omnium fere poetarum Romanorum patriam nominet, Naevii solius patriam neglexisse, sed cogit hoc fere ut Romae eum natum esse censeamus.

Praeterea Klussmannus [5]) ut suam sententiam demonstret in auxilium vocat nemora Naevia et portam Naeviam quibus ostendi dicit, gentem Naeviam iam primis temporibus Romae fuisse. Utraque nominat Varro [6]): „ligionem Porcius designat quom de Ennio scribens dicit eum coluisse Tutilinae loca. Sequitur porta Naevia quod in nemoribus Naeviis (Naevii etenim loca ubi ea) sic dicta. Deinde Rauduscula etc. Naevii

---

[1]) cf. Gell. N. A. 1, 24. — [2]) cf. Welcker trag. graec. p. 1338. Idem credit nomen Naevii non solum Romanum sed etiam Oscum fuisse. — [3]) cf. Cic. Agr. 1, 7 ib. 2. cf. Cic. in Rull. 2, 33. — [4]) Praeter alios cf. Hertz, ann. Berol. 1843 tom II p. 219, qui tamen magis sese inclinare dicit ad sententiam eorum qui Campanum Naevium fuisse censent. cf. Teuffel. in Pauli, encycl. reali s. v. Naevius. — [5]) Kl. p. 9. — [6]) Varro l. l. 5. 163 M.

quoque domum in istis silvis fuisse dicit Festus [1]): „Naeviam silvam vocitatam extra urbem ad miliarium quartum, quod Naevi cuiusdam ibi domus fuerit, quam nemora Naevia adpellata etiam fuisse Verrius ait.“[2]) Praeter illum vero Naevium a quo nemora dicta sunt, nullus nominatur a scriptoribus Romanis usque ad nostrum poetam quum gens sine dubio plebeia esset neque ante bella Punica famam adipisceretur. Poeta vero quum laudem sibi gentique acquisiverit, multos alios Naevios commemoratos videmus. Probatur aliquatenus Klussmanni sententia etiam eo quod anno 543 unus e gente Naevia cum laude stipendia meruit in bello cum Capuanis gesto, et optime intellegitur ratio quae inter Naevium et principes civitatis extitit si inveterato plebis odio in patricios incitabatur.

Multa quidem alia allata sunt a Schüttio quibus Campanum, multa a Klussmanno quibus Romanum poetam fuisse evincere student, sed quum unusquisque qui eorum argumenta legit primo obtutu videat quam futilia sint, molesto onere nugas refutandi supersedere licebit. Rem igitur in medio relinquimus.

His absolutis quam brevissime fieri potest Naevii res enarrabimus, quam rem ita optime instituere mihi videor ut primum quaeramus de anno quo Naevius mortuus sit, deinde quo tempore natum eum esse censendum sit.

Cicero [3]) enim ait: „at hic Cethegus Consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo quaestorque his coss. M. Cato, modo plane annis 140 ante me consulem, et id ipsum nisi unius esset Ennii testimonio cognitum hunc vetustas ut alios fortasse multos oblivione obruisset. Illius autem aetatis qui sermo fuerit ex Naevianis scriptis intellegi potest. His enim consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est,

---

[1]) Festus p. 169 M. — [2]) cf. Paul. Festi p. 168 M. Naeviam portam commemorat Livius 2, 11. Jul. Obsequens 104. Fortasse a nemoribus illis ortum est pirum Naevianum quode cf. Colum 5, 10; 12, 10; Cels. 2, 24. Utrum augur Attus Navus cum Naevius cohaereat incertum est. — [3]) cf. Cic. Brut. 15, 60.

Naevius est mortuus: quamquam Varro noster, diligentissimus investigator antiquitatis putat in hoc erratum vitamque Naevii producit longius. Nam Plautus viginti annis post illos quos ante dixi consules mortuus est Catone censore."

Atqui M. Cornelius Cethegus et P. Sempronius Tuditanus consules erant anno 550 quo anno Cato quaestor erat. Cum hoc Ciceronis testimonio consentit Hieronymus ad Eusebii chronicon qui ad Olympiadem 144 haec refert: „Naevius Comicus Uticae moritur pulsus Roma factione nobilium ac praecipue Metelli." Quod enim Hieronymus hanc rem ad annum tertium illius Olympiadis refert, non repugnat, quod singulorum annorum numeri in margine ibi additi non consilio sed fortuito distributi sunt.

Sed res certe mira esset si cum Klussmanno putaremus, Naevium Uticam fugisse ibique mortuum esse; quum enim Utica id temporis a Carthaginiensium partibus staret, poeta qui ipse bellum Punicum scripserat ipseque contra Paenos arma gesserat prius ad ultimas terrae oras, credo, quam in civitatem hostium fugisset, praesertim quum videamus quam constans in odio fuerit, quum, carcere spreto, Metellos identidem laederet. Quum vero Livius [1]) narret, eo ipso anno Scipionem Uticam frustra oppugnasse et prope urbem in promontorio castra fecisse, nescio quid obstet, ne ipse Naevius qui non exul factus [2]) sed factione tantum pulsus est, huic expeditioni sese adiunxerit senexque belli laboribus fractus sit prope Uticam. Qui finis vitae certe dignus est vita nostri poetae.

Epigramma autem, quod ipse Naevius in se mortuum scripsit teste Gellio, [3]) non testatur, re vera sepulcrum positum esse poetae, ut censet Klussmannus, [4]) sed facile in scriptis Naevianis extare potuit. Mortuus est igitur Naevius prope Uticam anno 550.

Sed nonnulli viri docti [5]) censuerunt Naevium illos versus

---

[1]) cf. Liv. 29, 35. — [2]) Errat Teuffelius l. l. — [3]) Gell. N. A. 1, 24, 2. [4]) Kl. p. 24. — [5]) cf. Ritterum Eph. LL. A. A. 1841 p. 334.

quos e Gellio [1]) adscribam scribere non potuisse nisi post pugnam apud Zamam factam:

„Etiam qui res manu magnas saepe gessit gloriose,
Cuius facta viva nunc vigent qui apud gentes solus praestat
Eum suus pater cum pallio ab amica abduxit uno.“

Scipionem enim dicunt illa pugna ad summum gloriae fastigium adscendise; sed aliae laudes etiam ante illam pugnam ab aliis in Scipionem effusae sunt „quem civitas invenem admodum recuperandae Hispaniae delegerit ducem, quem, recepta ab hostibus Hispania ad imponendum Punico bello finem creaverit consulem, spe destinaverit Hannibalem ex Italia detracturum, Africam subacturum.“ [2]) Itaque etiamsi Scipionis gloria illa pugna sidera tetigit, tamen iam paullo ante tanta erat ut Naeviani versus optime in eam quadrarent.

Restat ut pauca de Varronis sententia addamus qui e testimonio Ciceronis supra allato [3]) vitam Naevii extendit supra annum 550. Quem si Klussmannus ita cum Hieronymo coniungere studet ut dicat Varronem duobus annis produxisse vitam Naevii, vereor ne fallatur vir doctus. Sed quid de toto loco censendum sit ex verborum quae supra attulimus connexu patebit. Quum enim Cicero loquitur de anno 550 addit haec: „illius autem aetatis qui sermo fuerit ex Naevianis scriptis intellegi potest. His enim consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus: quamquam Varro noster, diligentissimus investigator antiquitatis, putat in hoc erratum vitamque Naevii producit longius. Nam Plautus viginti annis post illos quos ante dixi consules mortuus est, Catone censore.“

Videntur verba „nam Plautus etc.“ coniungi posse aut cum verbis „Varro producit longius“ aut cum „his enim consulibus Naevius est mortuus.“ Sed si hanc rationem sequimur, difficultates oboriuntur gravissimae. Naevius enim exemplum diceretur sermonis quo anno 550 utebantur, Plautus

---

[1]) Gell. N. A. 7, 8, 5. — [2]) Verba extant apud Livium 29, 20 quibus Q. Metellus laudavit Scipionem. — [3]) Cic. Brut. 15, 61.

vero exciperetur quum is tamen et illo tempore florere inciperet et ab ipso Cicerone[1]) una cum Naevio exemplum puri sermonis nominetur quo Laelia usa sit. Coniungenda sunt igitur illa verba cum iis quae statim antecedunt caussamque exprimunt cur Varro Naevii vitam produxerit, videtur enim haec eius ratio fuisse ut aequalium poetarum dies supremos nimio temporis spatio seiungere noluerit. Unde apparet, Varronem certe plus quam duobus annis vitam Naevii produxisse, simul vero videmus, eius rationem cedere debere veteribus commentariis quos Cicero inspexit.

Praeter annum quo Naevius mortuus est notum est quo fere tempore primum fabulas docuerit quode quum testimonium dubium sit et viri docti dissentiant, paullo accuratius inquirendum est. Gellius[2]) enim: „Anno deinde, inquit, post Romam conditam quingentesimo undevicesimo Sp. Carvilius Ruga primus Romae de amicorum sententia divortium cum uxore fecit quod sterilis esset iurassetque apud censores uxorem se liberum quaerundorum caussa habere, eodemque anno Cn. Naevius poeta fabulas apud populum dedit, quem M. Varro in libro[3]) de poetis primo stipendia fecisse ait bello Poenico primo idque ipsum Naevium dicere in eo carmine quod de eodem bello scripsit.“

Nullus alius locus extat ubi de tempore quo primum Naevius fabulas dedit veteres loquuntur; quid vero ex hoc loco eliciatur postea videbimus si de dubia anni huius notatione dixerimus.

Namque alio loco[4]) idem Gellius dicit: „Servius quoque Sulpicius in libro quem composuit de dotibus tum primum cautiones rei uxoriae necessarias esse visas scripsit, quum Sp. Carvilius, cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis, divortium cum uxore fecit quia liberi ex ea corporis vitio non gignerentur, anno urbis conditae quingentesimo vicesimo tertio, M. Atilio, P. Valerio consulibus.“ Con-

---

[1]) cf. Cic. de orat. 3, 12, 45. — [2]) cf. Gell. N. A. 17, 21, 45. — [3]) cf. Ritschelium Par. p. 136. — [4]) cf. Gell. N. A. 4, 3.

sules vero quos hic Gellius nominat non sunt anni 523 sed anni 527.

Contra utrumque vero locum pugnat quod dicit Dionysius Hal:[1]) *ὑπατευόντων Μάρκου Πομπωνίου καὶ Γαίου Παπυρίου πρῶτος ἀπολῦσαι λέγεται τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα Σπούριος Καρουΐλλιος.* Generali numero eandem rem definit Valerius Maximus[2]) quum dicit nullum Romae divortium factum esse usque ad annum vicesimum et quingentesimum. Plutarchi liber autem qui inscribitur Comp. Lyc. et Num. sine dubio capite tertio mendum contraxit quum annum ducentesimum tricesimum post Romam conditam exhibeat.

Ut igitur nunc incertos illos numeros omittamus res nobis est tantum cum duobus Gellii locis et cum Dionysio. Atqui Gellius[3]) sine dubio refert quod Servius Sulpicius in libro de dotibus memoriae tradiderat, qui si anno 523. M. Atilium et P. Valerium consules fuisse narrat, nescio quomodo facilius rem solvamus quam si statuimus Sulpicium aliam temporum rationem sequntum esse ac Varronem quum illos consules qui sunt anni 527 e Varronis computatione anno 523 tribuat. Cum Diodoro igitur sequitur Polybium qui Ol. 7, 2 Romam conditam esse statuit.

Namque haec ratio est certe facilior quam ex qua consulum nomina huc irrepsisse censent, quod quomodo accidisse statuant vix assequor.

Dionysius vero quum legerit anno 523 factum esse divortium inconsiderate eorum consulum nomina adposuit qui in fastis consularibus illi anno adscripti erant, quamquam plerumque aliam rationem tenet.

Quae coniectura qualiscunque est si cui placuerit, habebit is mecum duo tantum testimonia quorum utri fides habenda sit dubitari possit. Gellius enim annum 519 intellegit quo erant consules T. Manlius Torquatus et G. Atilius Bulbus II; Sulpicius vero annum 527 quo consules fuisse constat P. Valerium Flaccum et M. Atilium Regulum.

---

[1]) Ant. Rom. 2, 25. — [2]) Val. Max. 2, 1, 4. — [3]) Gell. N. A. 4, 3.

In qua re non dubito maiorem fidem Servio Sulpicio habere, qui proprio libro de re uxoria inquisivit, quum Gellius ipse profiteatur se nec acri nec subtili cura ex aliorum libris suas res congessisse.

Quodsi Gellius paullo post dicit, annis fere quindecim post sumptum esse bellum Punicum, hoc nihil probat quam Gellium bene computasse postquam semel annum 519 statuerit, rem ipsam non firmat.

Sed haec de hac re sufficerent nisi Schüttius [1]) obiecisset annum 527 esse reiciendum quod tum censores nulli fuerint, cui iam Ritschelius [2]) qua uti solet ingeniosa brevitate respondit, hic omnino de censoribus non quaeri; narrat enim Gellius Carvilium uxorem egregie dilexisse sed iurisiurandi religionem animo atque amori praevertisse, iuraverat enim apud censores uxorem se liberum quaerundum gratia habere (cf. Gell. N. A. 17, 21) seu habiturum. Unde intellegitur eum postquam uxorem duxerit in proximo fortasse censu iurasse; itaque quum videret post aliquod tempus, cuius spatium definiri non potest, uxorem sterilem esse, dimisit eam.

Quum statuerimus igitur divortium illud factum esse anno 527 aliam quaestionem movit Ritschelius [3]) hisce fere verbis: „Ne hoc quidem satis certum est, utrum eodem anno quingentesimo undevicesimo an eodem quo Carvilii divortium factum sit voluerit Gellius datas a Naevio fabulas dicere.“

Atque Ritschelius quidem ipse censet Gellium non ex factorum nexu sed ex annorum ordine facta hinc illinc allata conserere praesertim quum non pateat quid vinculi intercesserit inter Carvilii divortium et Naevii fabulas. Nec scio quid proferri possit contra hanc viri doctissimi sententiam.

Ex alio igitur fonte hanc rem hausisse Gellius videtur et fortasse [4]) ipse Varro in libro de poetis primo Naevium anno 519 fabulas docuisse dixit. Ut igitur brevibus verbis sententiam meam de Gellii loco complectar, dicit, Naevium

---

[1]) p. 14. — [2]) Ritschel. Par. p. 69. — [3]) Par. p. 68. — [4]) Quamquam pro certo dicit Klussmannus p. 13 testem huius rei esse Varronem.

fabulas dedisse anno 519, consulibus T. Manlio et C. Atilio, quum vero alias legerit, coss. M. Atilio et P. Valerio Rugam divortium fecisse, Atilii consulis nomine falsus hanc rem adscripsit ad eundem annum 519.

Quodsi quis Gellium ab eiusmodi erroribus alienum putat nescio quam rationem faciliorem explicandae rei adhibere velit.

Iam vero ne nunc quidem scimus quo anno primum fabulas Naevius docuerit; Gellius enim nihil dicit nisi „eodemque anno Gn. Naevius poeta fabulas apud populum dedit.“ Idem apertis quidem verbis paullo ante dixerat Livium primum omnium Romae fabulas docere coepisse, qua re conicere quis possit hic quoque de primis Naevii fabulis Gellium loqui; attamen quum paullo post tempus tantum indicet quo Plautus in scena floruerit, inde eodem iure concludere licet, Naevium tunc non primum docuisse sed in scena floruisse. Fortasse enim Varro certa testimonia habuit quibus fretus huic anno hanc illamve Naevii fabulam tribueret.

Antequam Naevius fabulas docuit stipendia meruit bello Punico primo [1]), quod bellum quum gereretur annis 490 usque ad 513 Romani vero ante annum decimum septimum arma non sumerent, Naevius natus est certe ante annum 496 nisi forte quis statuere malit, acerrimo illo bello etiam ante aetatem lege praescriptam pueros ad arma esse convocatos. Sed alia ratio accedit qua definire licet quo tempore Naevius natus sit.

Cicero [2]) enim dicit, Naevium senem gavisum esse suo bello Punico, quum vero senex nemo a Cicerone nominetur nisi sexagenarius [3]), Naevius, qui mortuus est anno 550, natus est aut anno 490 aut ante hunc annum, quam ob rem Ritschelius quoque eum natum autumat inter annos 480 et 490 [4]).

---

[1]) Gell. N. A. 17, 21 — [2]) Cic. Cat. M. 14, 50. — [3]) cf. Ritschelii Par. p. 62. cf. Varronem apud Censor. de dic nat. 14. — [4]) cf. Ritschelii par. p. 50. Mommsenius hist. Rom. I^{b} p. 880 Naevii vitam ponit inter annos 490 et 560.

Qui Campanum Naevium esse voluerunt, eum dicunt inter cives Campanos militasse[1]) nos qui Romanum eum fuisse censemus, legionibus eum adscribimus, civem vero poetam fuisse certo inde colligitur quod stipendia illo bello meruit. Nonnulli vero viri docti[2]) censuerunt, Naevium quod stipendia meruerit ipsum suarum fabularum actorem non fuisse. Quam sententiam vereor ne incautius protulerint. Namque, ut concedamus iam tum hominem qui in scenam prodisset, stipendia merere non potuisse, tamen inde quod antea stipendia meruit concludi nequit, eum postea in scenam non prodiisse. Sed ne id ipsum quidem constat quo tempore lata sit illa lex qua fabularum actores capite deminuebantur. Me ut censeam Naevium suas fabulas egisse movent Livii verba[3]): „idem Livius post aliquot annos qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere (idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor) dicitur etc.“ Quo loco, si quid video, Livius non potuit dicere „omnes tum poetas carmina sua egisse“ si statim Naevius excipiendus erat[4]). Accedit altera ratio: Ut postea videbimus Naevius saepe principes civitatis laedebat, quae crimina ut dilueret, in vincula coniectus duas fabulas scripsit. Atqui verisimile est, Naevium eiusdem generis carminibus crimina diluisse quo antea principes laeserit, ut eosdem palinodiae auditores haberet, qui exprobrationes audissent. Itaque si praecipue in scena principes laeserat[5]) non video quomodo hac re culpam sibi contraxerit, nisi ipse in scenam prodibat. Namque quum aediles curules inde ab anno 541 fabulas si non emerent,[6]) curarent tamen ne quid fabulae offenderent,

---

[1]) cf. Niebuhr. II Nota 105. — [2]) cf. Momms. I[b] p. 880 nota. — [3]) Liv. 7, 2. cf. Euanthius de com. et trag.: Latinae fabulae primo a Livio Andronico scriptae sunt ad cunctas res quum etiam tum recentius idem et poeta et actor fabularum suarum fuisset. — [4]) Niebuhrius I p. 543 N. 1078 censet Romanos sine ignominia praetextarum et togatarum personas agere potuisse. — [5]) cf. Koepkius Eph: LL. A. A. 1835 p. 1230. — [6]) cf. Osann an. cr. p. 143 qui propter Festi testimonium s. v. scriba censet Livii tempore poetas non argentum sed aliud praemium accepisse.

hi ipsi rei faciendi erant si quid eiusmodi acciderat; sed si Naevius ipse agebat, tum quidem facillime hanc illamve iniuriam innectere ex tempore potuit propter quam poena ei solvenda erat [1]).

Restat ut de ratione disseramus quae intercesserit inter Naevium et principes civitatis, qua praecipue apud posteros notus fuisse videtur. Gentem Naeviam plebeiam fuisse constat, M. enim Naevius tribunus plebis erat [2]) et Cicero Sextum Naevium hominem humili loco natum adpellat [3]) cuius familiae si Gn. Naevius erat, quod ne statuamus nihil nos impedit, inde iam concludere licet, illum principes civitatis odio persequutum esse, quorum nulli se gratia devinctum sentiret, quum ceteri poetae qui illo tempore Romae clari facti sunt magis minusve a principibus civitatis beneficiis tenerentur. Praecipue vero contra duos verborum fulmina vibravit, contra Scipionem et contra Metellum. Quorum illum quibus verbis Naevius laeserit, Gellius memoriae tradidit [4]), quum enim narrarit P. Scipionem Africanum maiorem Carthagine nova expugnata, virginem Hispanam inviolatam patri reddidisse, addit: „Nos satis habebimus id dicere, Scipionem istum, verone an falso incertum, fama tamen, quum esset adolescens, haud sincera fuisse et propemodum constitisse, hosce versus a Gn. Naevio poeta in eum scriptos esse:

Etiam qui res magnas manu saepe gessit gloriose
Cuius facta viva nunc vigent qui apud gentes solus praestat
Eum suus pater cum pallio uno ab amica abduxit.“ [5])

Naevius fortasse hoc versus illo ipso tempore protulit quo fama illius facti quod Gellius narrat per omnium ora

---

[1]) Ut post multos annos atellani principes laeserunt ex tempore cf. Sueton. Calig. 27 etc. cf. Stievium de rei scenicae apud. Rom. origine Berol. 1828 p. 59. — [2]) cf. Liv. 38, 56. — [3]) cf. Cic. pro Quint. 3, 11. — [4]) cf. Gell. N. A. 7, 8, 5. — [5]) Versus dedi ex recensione O. Ribbeckii com. rell. Naev. inc. fab. III, quos quum antea viri docti saturnios esse credidissent, Klussmannus et Fleckeisenus ep. crit. ad M. Hertzium p. 29 ex comoedia eos sumptos esse viderunt.

volavit, tunc enim maximi momenti hi versus erant. Nec tamen Scipionis nomen prostituit Naevius [1]) nec facta eius detrectavit, sed noluit iuvenem propter tam leves res in coelum tolli quem ipse sciebat omnibus naturae humanae vitiis affectum esse; atque inprimis Graeci mores displicuerunt poetae, hoc enim ostendit pallium, vestimentum Graecum quo adolescentem indutum fuisse dicit. Et nisi leves illius mores praecipue inrisisset, quid retinuit Naevium quominus in Africani avunculos inveheretur, quos tamen omnino intactos reliquit.[2]) Alii quoque versus extant quibus apparet, non propterea illum in principes esse invectum quod principes essent, sed quod novorum morum cupidi viderentur. Cicero [3]) enim refert: „quodsi legere aut audire voletis externa, maximas respublicas ab adulescentibus labefactatas a senibus sustentatas reperietis
„Cedo qui vestram rempublicam tantam amisistis tam cito? sic enim percontabantur, ut est in Naevii poetae Ludo, respondentur et alia et hoc inprimis:

„Proveniebant oratores novi stulti adulescentuli.“

quos versus etsi e Graeca comoedia sumpti sunt, tamen Naevius certe rebus Romanis adaptavit.

Itaque non solum hoc de Graecorum poetarum more [4]) fecit quod principibus illusit; sed etiam quod antiquos mores contra novos illorum principum defendere quam maxime conabatur. Attamen postea quum videret quanto odio Africanus contra Poenos pugnaret, certe Naevius eum persequi desiit, quin, ut iam diximus, quum Roma pelleretur, castra eius sequutus esse videtur. Neque tamen principes quieto animo sibi obtrectari passi sunt, sed effecerunt ut in vincula poeta

---

[1]) „Propemodum constitit“ dicit Gellius. — [2]) cf. Ritsch. par. 57. cf. Cic. Rep. 4 ap. Aug. C. D. 2, 9: „Sed Periclem quum iam suae civitati maxima auctoritate .... praefuisset violari et agi in scena non plus decuit quam si Plautus noster voluisset aut Naevius Publio et Gnaeo Scipioni aut Caecilius Marco Catoni maledicere.“ — [3]) cf. Cic. Cat. M. 6, 20. cf. Ribbeck com. rell. p. 14 s. n. ludus. — [4]) cf. Gell. 3, 3, 15 qui veterem comoediam intellegere videtur.

coniceretur, quam rem Gellius [1]) narrat hisce verbis: „Sicut de Naevio quoque accepimus fabulas eum in carcere duas scripsisse, Hariolum et Leontem, quum ob assiduam maledicentiam et probra in principes civitatis de Graecorum poetarum more dicta, in vincula a triumviris coniectus esset. Unde post a tribunis plebis exemptus est quum in his quas supra dixi fabulis delicta sua et petulantias dictorum, quibus multos ante laeserat, diluisset.“

Quem locum plerique viri docti sic intellexerunt ut statuerent, Metellum consulem, de quo postea loquemur, Naevium in vincula conici iussisse anno 548. Sed haec res admodum dubia est, quum nulli scriptores certum quid de hac re tradiderint, nihil enim constat quam Metellum minatum esse saturnio propter saturnium; Naevius vero non propter saturnios sed propter fabulas in carcerem coniectus esse videtur, in quibus id temporis saturnios fuisse nec scimus nec veri est simile. Itaque nemo, credo, obloquetur si Naevium ante Metellum consulem in carcerem mittimus anno 544 vel 543 postquam versus illos in Scipionem edidit. Quod vero a triumviris prehendebatur, non indicat peregrinum illum fuisse, sed tantum civem infimi ordinis quum hi quoque in triumvirum essent potestate [2]). Hi igitur poenis eum affecerunt quum lege duodecim tabularum iam cautum esset, ut si quis populo occentarit carmenve condiderit quod infamiam fecerit flagitiumve alteri, is fuste feriatur.“ Diu eum in carcere fuisse inde apparet quod duas fabulas ibi scripsit. Dolores vero quos ibi passus est describit Plautus, cuius verba [3]) interpretes de Naevio dicta iure arbitrantur freti Pauli testimonio [4]) qui „Plautus, inquit, Naevium poetam Latinum barbarum dicit.“

Plauti autem verba haec sunt:

---

[1]) cf. Gell. ib. — [2]) cf. Zumpt ad Cic. Verr. p. 36. cf. Klotz ad Cic. pro Cluent 13, p. 614. — [3]) cf. Plaut. Mil. Glor. 2, 2, 56. Hinc Windischmanni sententia aliquam veri speciem nanciscitur qui Militem ante 550 actam esse censet. — [4]) cf. Paul. Festi p. 36 M.

„Nam os columnatum poetae esse indaudivi barbaro
Cui bini custodes semper totis horis occubant.“

Post longum denique temporis spatium tribuni plebis eum ex vinculis liberarunt, fortasse ipsa plebe tunc poscente ut suus sibi poeta redderetur [1]). Sed nec principes studia sua mutaverant nec Naevii antiquum ingenium fustibus vinculisque obtusum erat; itaque pulsus est Roma factione nobilium ac praecipue Metelli.[2]) Metellos enim saepe a Naevio lacessitos esse referunt grammatici [3]); omnium autem illarum contumeliarum unum versiculum, quod bonus saturnius esset, grammatici nobis servarunt:

„Fato Metelli Romae fiunt consules[4])“ cui tunc Metellus consul iratus versu responderat senario hypercatalecto qui et saturnius dicitur:

„Dabunt malum Metelli Naevio poetae[5]).“ Asconius hos versus laudat ut verba explicet quibus Cicero Q. Metellum alloquitur: „Nam hoc Verrem dicere aiebant, te non fato, ut ceteros ex vestra familia, sed opera sua consulem factum;“ quo loco illud „fato“ aperte idem significat ac „fortuito“. Itaque interpretes laborarunt [6]) ut etiam illum Metellum, in quem Naevius scripsit, fato, id est ante aetatem lege praescriptam, ad consulatum accessisse demonstrarent. Sed non video cur Verris illi sales nostram interpretationem restringant, ille enim facile anceps vocabulum „fato“ quod et „perniciei“ et „fortuito“ significat, in suam rem vertere potuit ut opponeretur verbis „sua opera“; nec tamen propterea Naeviani versus haec sententia fuit [7]). Ac profecto male a

---

[1]) Pahlius de fab. Rom. pall. et tog. Berol. 1841 p. 39 falso dicit Naevium bis in carcerem esse coniectum primum quidem quum Scipionem laesisset, deinde vero quum in Metellos invectus esset. Ritterus p. 332 censet tribunos plebis antea non intercessisse ne quid gravius Naevius pateretur. — [2]) cf. Hieron. ad Eus. Chron. Ol. 144. — [3]) cf. Terent. Maur. p. 2439: Et Naevio poetae sic ferunt Metellos Quum saepe laederentur esse comminatos. cf. Atilius Fort. p. 2679. — [4]) cf. Atilius p. 2698. cf. Plotius p. 2650. — [5]) cf. Ascon. Ped. ad. Cic. Verr. 1, 10. — [6]) cf. prae ceteris Drumann. hist. Rom. II p. 17. — [7]) Accedit quod illo tempore lex annaria nondum lata erat.

Metellis respondebatur „Dabunt malum Metelli Naevio poetae“ si ille dixerat: „Fortuito atque casu Metelli consules fiunt.“ Si vero dixerat: „Malum Metelli Romae dant consules“ facetius nihil excogitari potest quam breve Metellorum responsum.

Asconio igitur teste, Metellus consul huic versui Naeviano responderat et quum anno 550 Naevium pulsum videamus Metellorum factione, iam inde apparet, hunc Metellum fuisse Q. Caecilium Metellum consulem anni 548, nec opus erit me caussas addere cur L. Caecilium Metellum, Q. patrem, fortissimum virum ab Naevio hic lacessitum non esse censeamus[1]). Metellos autem maxime oderat poeta fortasse quod L. Metellus post pugnam Cannensem anno 538 e patria fugere constituit, cuius frater consul ille Q. erat, qui ipse novos Naevioque invisos mores coluit. Quod vero Naevius de consulibus Metellis non de consule loquitur nec de patre Metello eiusque filiis cogitandum nec divinandum de futura Metellorum gloria erat. Illo enim ipso tempore Metelli maxime florebant, quum tres fratres summis honoribus fungerentur, erat enim Q. Metellus anno 548 consul et M. Metellus praetor, L. autem Metellus anno 540 quaestor fuerat.[2])

Concidit igitur dubium illud quod Zumptius[3]) de Naevio illius versus auctore movit, qui quum videret admirabilem illam Metellorum fortunam anno demum 611 coepisse, censuit hunc versum postea a grammaticis fictum esse quippe qui antiquum Naevii odium in Metellos bene nossent. Sed eadem fere res est quam supra vidimus quum de Naevii versibus in Africanum scriptis dicebamus, qui quum antea magnam iam gloriam nactus postea magis celebraretur, viri docti in maiorem illam gloriam Naevianos versus conicere vo-

---

[1]) cf. Ritter p. 331. — [2]) Pluralis numerus in Naevii versu optime quoque explicatur si dixit Naevius „fato est Romae quod unus e Metellis consul factus est, Metelli igitur ad consulatus honorem admittuntur. — [3]) cf. Zumpt. ad Cic. Verr. p. 72. Ritterus p. 329 versum contra Zumptium defendit, quod vero illum ex bello Punico haustum esse existimat, fallitur ut videbimus si de illo carmine sermo erit.

luerunt. Nobis vero propter hanc rationem magnum illud agmen grammaticorum, quamvis levium testium, reicere non licet, sed censemus re vera poetam versu laudato Metellos laesisse, qui quomodo hanc iniuriam ulti sint vidimus; factione enim conflata senem ex urbe expulerunt, scilicet ut Graecis moribus locus daretur expellendus erat ille vir qui ne aetatis quidem suae curam habuit si modo Romanos mores servaret [1]), qui

primores populi arripuit populumque tributim
scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis. [2])

De poetae gentilibus quorum magnus numerus inde ab illo tempore commemoratur nihil fere addendum est, plerique enim a poeta nihil nisi liberam linguam haereditate accepisse videntur. Unus tantum isque poetae aequalis Q. Naevius Crista anno 540 militia laudem meruit [3]), idem fortasse centurio contra Capuanos pugnavit, 543. Alter Q. Naevius anno 560 Latinos in coloniam deduxit [4]) coloniaeque anno 562 vibonem deducendae triumvir erat [5]). Tertius denique M. Naevius tribunus plebis Scipionem accusavit a 569 quod corrumpi sese passus esset a rege Antiocho [6]). Ceteros omnes omittam ne etiam scurrae illius Sexti Naevii pluribus verbis mentio facienda sit, sufficit enim addidisse Naeviorum gentem perdurasse usque ad Quintiliani aetatem multisque in inscriptionibus Naeviorum nomina legi.

---

[1]) cf. Hertz. p. 235. — [2]) verba Horatii de Lucilio Sat. 2, 1, 68. — [3]) cf. Liv. 24, 20. — [4]) cf. Liv. 34, 53. — [5]) cf. Liv. 35, 40. — [6]) cf. Gell. N. A. 4, 18, 3.

DE BELLO PUNICO.

Plerumque in initiis poesis omnes principem illum qui fontem Pegaseum aperuit sequuntur, namque componunt eosdem versus easdemque carminum leges sibi proponunt. Nec certe aliter Romae evenisset nisi extitisset vir qui quum intime Graecorum studiis inbutus esset tamen Romanum ingenium servavit integrum atque incorruptum. Itaque quum Livius carmini epico viam aperuisset vertenda Odyssea Homeri in linguam Latinam, statim aliud insequutum est epos quo non solum celebrabantur res illa aetate cum summa gloria a populo Romano gestae sed etiam narrationes illae fabulosae innectebantur quae circa urbis originem tamquam rami ac folia circum arboris stirpem sese applicaverant. Licet fabulosae illae narrationes magna ex parte a Graecis scriptoribus ortae atque e Graecis carminibus ad res Romanas translatae sint, multae tamen longo temporis spatio ab ipsis Romanis in laudem pristini illius aevi erant inventae. Has omnes unus poeta collegit vivoque colore ornatas populo ostendit memoriaeque tradidit, connectens primam urbis originem cum summo virilitatis flore.

Gn. Naevius qui ipse bello Punico primo stipendia meruerat[1]), postquam multas fabulas Graeci, nonnullas Latini argumenti dedit, senex fere, scena deserta in campum prosiluit et res fortiter a Romanis gestas laudibus ornavit.

---

[1]) Varro ap. Gell. N. A. 17, 21, 45.

Quid eum ad hoc opus inpulerit nescimus utrum rerum gestarum magnitudo an quod ad bellum contra Poenos persequendum animos excitare voluerit. Senem Naevium iam fuisse quum hoc carmen conderet patet ex verbis Ciceronis [1]) qui quum exponit etiam senes multis rebus gaudere, exemplum addens dicit: „Quid in levioribus studiis sed tamen acutis? Quam gaudebat bello suo Punico Naevius, quam Truculento Plautus quam Pseudolo" quae verba totius loci connexu declarant non solum gavisos esse senes carminibus quae iunvenes fecissent sed etiam senes fecisse bellum et fabulas. Audacius vero Ritterus [2]) versu in Metellos conscripto utitur quo demonstret, Naevium anno 548 bellum Punicum edidisse, praefractis utpote verbis contendens versum illum esse ex bello Punico sumptum; censet enim Naevium quum alterum consulatum L. Caecilii Metelli descripsisset embolio quodam delatum esse ad eius filium consulem anni 548. Sed quibus rationibus illum versum in bellum Punicum intrudat ipsi lectores iudicent. Primum enim dicit, quum non addatur carmen unde hic versus haustus sit, sponte notissimum poetae carmen menti obversari, qua ratione si vir doctus semper uteretur omnia fabularum fragmenta quae nunc incerto loco vagantur inferciret in Lycurgum Danaenve, si tragica sunt, si vero comoediam sapiunt in Tarentillam, quam rem ne ipse quidem conabitur.

Deinde, inquit Ritterus, quum saturnius ille versus sit nec saturnii locum habeant in Naevianis fabulis, quae Graecis metris conscriptae sunt, satirae vero carminave obtrectatoria Naevii nulla memorentur, nihil restat nisi hoc ut sit versus belli Punici. Saturnium sane cum toto grammaticorum grege agnosco, alterum quoque illud cum Rittero contendo, in fabulis Naevium saturnio non esse usum [3]), at quis dixit Rittero, Naevium nulla epigrammata scripsisse qui sibi ipse in sepul-

---

[1]) cf. Cic. Cat. M. 14, 50. — [2]) cf. Ritter Eph. LL. A. A. 1841 p. 330.
[3]) Quamquam Osannus an. crit. p. 6 Livium et Naevium in comoediis nonnunquam saturniis esse usos existimat.

chrum epigramma versibus saturniis scripsit? Certe igitur his rationibus non efficitur, anno 548 bellum Punicum esse editum. Quin si rationem verisimiliorem sequimur, melius se res habet, si uni Naevii versiculo uno versu Metellus respondit; quod si statuimus simul effugimus omnes illas difficultates quibus Ritterus defatigatur quum censuerit, Naevium in primi belli Punici descriptione meminisse consulis anni 548. Nos igitur testimonio Ciceronis contenti esse debemus; quodsi quis cum Rittero [1]) statuere vult poetam carmen coepisse medio fere bello Punico altero, non intercedo. Ritterus nempe quamquam id non dicit videtur tamen eam rationem sequi ut statuat, quum Vergilius duodecim libros duodecim annis conscripserit Naevio quoque ad septem libros conscribendos septem annorum spatio opus fuisse, quae ratio quam debilis sit vident omnes, quum nec magnitudinem librorum belli Punici noverimus et constet Vergilium inaudita tarditate usum esse.

Saturniis versibus Naevium bellum Punicum scripsisse nisi ipsa fragmenta iam satis demonstrant, veterum testimonia docent. Ennius [2]) enim id significare videtur quum Naevium intellegens dicit:
„scripsere alii rem vorsibus quos olim Faunei vatesque canebant“ et Festus [3]) refert: „saturnii appellantur quibus et a Naevio bellum Punicum scriptum est et a multis aliis plura composita sunt.“

Ipse poeta carmen composuit uno volumine et continenti scriptura [4]) divisit vero in septem libros G. Octavius Lampadio, qui grammaticus Sullae tempore Romae florebat. Hanc igitur Octavii recensionem omnes grammatici qui frustula belli Punici servarunt ante oculos habuisse videntur.

Nostrum nunc erit quaerere de nomine quo carmen inscriptum erat, de rebus quas complectebatur de earumque

---

[1]) cf. Ritter. l. l. p. 334. — [2]) cf. Ennii fgt. rec. Vahl. Ann. 7, 1. — [3]) p. 325 M. — [4]) cf. Sueton de Gramm. 2. De Lampadionis divisione etiam Nonius loqui videtur s. v. septemfariam p. 170 M.

distributione, postremo de loco quem tenet Naevii liber in literis Latinis.

Atque primum quidem ut verum carminis nomen constituamus, necesse est percenseamus grammaticorum testimonia qui Naevii mentionem faciunt, quam rem sic instituemus ut non ipsos locos afferam ubi grammaticorum verba leguntur sed ablegem lectores ad Vahleni recensionem belli Punici ubi qui vult librorum paginas inspicere potest. Merito hic primo loco ponitur princeps ille Romanorum grammaticorum, Varro, qui sexies[1]) versus saturnios e Naevii libris nullo carminis nomine addito laudat, sine dubio ex bello Punico exempla hauriens, uno vero loco Naevii bellum Punicum opponit Naevianis fabulis[2]). Gellius[3]) quoque narrat Varronem dixisse Naevium bello Punico primo stipendia meruisse idque ipsum Naevium dicere in eo carmine quod de eodem bello scripserit. Varro igitur Naevii librum appellat „bellum Punicum" dicitque bellum Punicum primum in eo esse descriptum. Cicero[4]) Naevii „bellum Punicum" laudat. Festus quoque solum Naevii nomen saturniis versibus addit quinquies[5]) quocum conferendi sunt duo loci Pauli[6]). Ex ceteris Festi frustulis haec finguntur:

[Nae]vius belli Pu[nici libro] cf. Vahl. inc. 8 [Naevius] qui ait in belli [Punici libro] cf. Vahl. inc. 12. Naevius de [bello Puni] co cf. Vahl. inc. 16 inverso vero ordine citat librum semel[7]) „Naevius in carmine Punici belli". Semel quoque Ennium pro Naevio nominat[8]):

Apud Priscianum quater[9]) citatur Naevius in carmine belli Punici bis Naevius in carmine belli Punici primo[10]), deinde Naevius in *Π* belli Punici[11]) et Naevius in carmine belli Punici *Π*[12]); addito quoque libri numero Charisius

---

[1]) cf. Vahl. 1, 11; 2, 4; 2, 5; 5, 1; inc. 3; inc. 11. — [2]) cf. Vahl. inc. 8. — [3]) cf. Gell. N. A. 17, 21, 45. — [4]) cf. Cic. Cato M. 14, 50. — [5]) cf. Vahl. 3, 4; 3, 5; inc. 6, 10, 15. — [6]) cf. Vahl. 3, 2. inc. 6, 8; — [7]) cf. Vahl. inc. 1. — [8]) cf. Vahl. inc. 17. — [9]) cf. Vahl. 1, 8; inc. 2, 9, 13. — [10]) cf. Vahl. 1, 4; 1, 18. — [11]) cf. Vahl. 2, 6. — [12]) cf. Vahl. 2, 1.

citat „Naevius belli Punici libro primo“ [1]). Gellius praeter eum locum quo Varronis testimonium de Naevio refert [2]), citat „Naevius in libris belli Poenici“ [3]). Macrobius quem certo scimus Naevii librum in manibus habuisse, quater illum laudat quum dicit:

„a Naevio est ex primo libro belli Punici“ cf. Vahl. 1, 10.
et „Naevius belli Punici libro primo“ cf. Vahl. 1, 17.
et „Naevius belli Punici libro secundo“ cf. Vahl. 2, 7.
et „Naevius poeta in bello Punico“ cf. Vahl. inc. 4.

Servius ter [4]) Naevii nomen solum exhibet appositis saturniis versibus, deinde laudat „Naevius bello Punico“ [5]), „de Naevio belli Punici libro“ [6]), „Naevius in primo belli Punici [7]), „Naevius belli Punici primo“ [8]). Lactantius quoque de Naevio in libris belli Punici [9]) loquitur et Donatus memorat „Naevii in bello Punico“ [10]). Isidorus denique et Naevium laudat [11]) et „Naevium in bello Punico“ [12]). Postremo ut ceterorum grammaticorum farraginem omittamus Nonii mentio est facienda apud quem plurima belli Punici fragmenta dispersa et variis modis laudata invenimus, ibi enim legimus; „Nevius carmine Punici belli“ [13]). „Nevius Poenici belli lib. VI“ [14]). „Nevius belli Poenici lib. II“ [15]). „Nevius belli Poenici lib. III“ [16]). „Nevius belli Poenici lib. IV“ [17]). „Nevius belli Poenici lib. VI.“ [18]) et „Nevius belli Poenici lib. VII“ [19]).

Atque hanc testimoniorum molem congessi ut si quid dubii de carminis nomine existat statim id corruat; nunc enim unusquisque videt, verum carminis nomen nec fuisse „liber de bello Poenico“ nec „carmen“, sed simplici modo „bellum Punicum“ Naevius carmen suum nominavit. Nec proptera quod hic illic occurrit nomen inversis vocabulis scrip-

---

[1]) cf. Vahl. 3, 3. — [2]) ib. 7, 1. — [3]) ib. inc. 14. — [4]) ib. 1, 5; 1, 12; 2, 3. — [5]) ib. 1, 7. — [6]) ib. 1, 9. — [7]) ib. 1, 16. — [8]) ib. 1, 6. — [9]) ib. 1, 5. — [10]) ib. inc. 7. — [11]) ib. inc. 4. — [12]) ib. inc. 5. — [13]) ib. 1, 3. — [14]) ib. 6, 4. — [15]) ib. 1, 14 bis — [16]) ib. 2, 2; 3, 1. — [17]) ib. 4, 1; 4, 2; 4, 3; 4, 4. — [18]) ib. 6, 1; 6, 2 bis; 6, 3. — [19]) ib. 7, 1.

tum „Poenicum bellum“ sequetur quis hanc grammaticorum licentiam tamquam legem. Postremo etiam cautum est ne quis ex Gellii [1]) et Ciceronis [2]) verbis eruere conetur, carminis nomen fuisse „bellum Punicum primum“ namque etsi illud bellum hoc carmine describebatur, tamen carmen inde nomen non accepit.

Hoc igitur carmen ab Octavio Lampadione in septem libros divisum esse narrat Suetonius cuius cum testimonio optime congruit quod praeter septimum librum nullus maiore numero insignitus laudatur. Quas vero res poeta tractarit et quo rerum ordine usus sit, quantum divinando sana ratione assequi possumus, tentabimus exponere.

Atque primum quidem fragmenta quae primo libro Vahlenus collegit, satis ostendunt, Naevium narrasse de Aenea et Anchisa Troia fugientibus et in mari errantibus de Didone et Anna, de Sibylla Cimmeria cum Aenea colloquente. Deinde fragmenta secundi libri quem Vahlenus constituit mentionem faciunt Ammulli regis, Romuli, Palatini conditi et Aventini.

Tertio libro, si Vahleni recensionem sequimur, bello Poenis indicto, Marcus Valerius consul partem exercitus in expeditionem ducit, mentio quoque facta est militum qui si commilitones desererent, cum stupro ad suos redituri essent. Libro quarto transit Melitam exercitus insulamque populatur, pugna anceps describitur, victoribus caro distribuitur. De quinto libro nihil constat, Vahlenus vero in hunc librum ordinat fragmentum quo dictator curru invehi dicitur. Sexto legimus, septimum decimum annum aliquos homines alicubi sedisse, conteruntur legiones, convenit ut aliquis regnum habeat, Poenus expectatur. Libro septimo denique Naevius sui mentionem iniecit, pacis conditiones feruntur. Ex fragmentis incerti loci nihil concluditur de rebus quae narrantur, mentio tamen inicitur hostium qui fame cruciantur, navis aeratae quae comparatur, incendii, Samnitium, aliarum rerum

---

[1]) cf. Gell. N. A. 17, 21, 45. — [2]) cf. Cic. Brut. 19, 74.

quas quo loco ponamus nunc quidem in incerto relinquendum est.

Iam quaeritur qua ratione res narratae divisae fuerint in libros, qua in re constituenda etsi satis debilia sunt grammaticorum testimonia quum facillime per tot saecula numeri librorum mutati sint, tamen hi soli auctores esse possunt solique duces quos nisi de gravissimis caussis deserere non licet. Hos igitur si sequimur hanc fere librorum speciem inveniemus in quam reliqua fragmenta suis quaeque locis inserere possumus.

Lib. I.

Ei venit in mentem hominum fortunas (cf. Vahl. 1, 4).
Eorum sectam secuntur multi mortales
— — — — Multi alii e Troia
Strenui viri — — — — — — —
Ubi foras cum auro illuc exibant (cf. Vahl. 1, 6)
Venus Troianis tempestate laborantibus cum Jove queritur et secuntur verba Jovis Filiam consolantis spe futurorum (cf. Vahl. 1, 10) Prochyta . . hanc Naevius de cognata Aeneae nomen accepisse dicit. (cf. Vahl. 1, 16)
Silvicolae homines bellique inertes (cf. Vahl. 1, 17)
Inerant signa expressa quo modo Titani
Bicorpores Gigantes magnique Atlantes
Runcus ac Purpureus filii terras. (cf. Vahl. 1, 18)
— — — Marcus Valerius consul
Partem exerciti in expeditionem ducit (cf. Vahl 3, 3)

Lib. II.

Blande et docte percontat Aeneas quo pacto
Troiam urbem liquerit (cf. Vahl. 1, 14)
Iamque eius mentem fortuna fecerat quietem
(cf. Vahl. 2, 1)
Prima incedit Cereris Proserpina puer (cf. Vahl. 2, 6)
Dein pollens sagittis inclutus arquitenens
Sanctus Delphis prognatus Pythius Apollo. (cf. Vahl. 2, 7.)

Lib. III.

Postquam aves aspexit in templo Anchises
Sacra in mensa Penatium ordine ponuntur
Auratamque inmolabant victimam pulcram (cf. Vahl. 1, 2)
Manusque susum ad coelum sustulit suas rex
Amulius gratulatur divis (cf. Vahl, 2, 2)
Simul atrocia porricerent exta ministratores (cf. Vahl. 3, 1.)

Lib. IV.

Transit Melitam Romanus insulam integram omnem
Urit populatur vastat-rem hostium concinnat (cf. Vahl. 4, 1)
Vicissatim volvi victoriam (cf. Vahl. 4, 2)
— — — — — verum praetor
Advenit auspicavit auspicium prosperum (cf. Vahl. 4, 3)
Eam carnem victoribus danunt (cf. Vahl. 4, 4).

[Lib. V.]

Lib. VI.

Septumum decumum annum ilico sedent (cf. Vahl. 6, 1)
Superbiter contemptim conterit legiones (cf. Vahl. 6, 2)
— — — — — convenit regnum
Simul atque locos ut haberet (cf. Vahl. 6, 3)
Censet eo venturum obviam Poenum (cf. Vahl. 6, 4)

Lib VII.

Id quoque paciscunt moenia sint Lutatium quae
Reconcilient: captivos plurimos idem
Sicilienses paciscit obsides ut reddant (cf. Vahl. 7, 2)

Haec fragmenta si inspicimus primo obtutu apparet M. Valerii locum non esse in libro in quo de Anchisa et Aenea sermo est, namque Naevium primo libro non iam ad ipsum bellum pervenisse inde colligitur quod etiam in altero libro Aeneas apparet. Primo igitur libro Aeneas cum Anchisa Troia fugit, tempestatibus laborat, Prochytae insulae nomen dat, venit ad silvicolas homines bellique inertes. Secundo libro aliquis blande et docte percontatur Aeneam, quam rem quum sciamus Naevium Didonis mentionem fecisse non possumus quin ad Didonem referamus, Carthagine igitur Aeneas

moratur. Tertio libro Anchises auspicium videt et Amulius rex gratulatur divis. Quod nisi praeoccupato iudicio mutare volumus, statuendum est, hoc libro Aeneam cum patre Anchisa Italiam venisse et res in Italia gestas fuisse narratas, urbis Romae originem, alia. Quarto libro res gestas bello Punico invenimus, narratur enim quomodo Romani Melitam insulam depopulati sint octavo belli anno; atque haec ipsa res in fine huius libri narrata esse videtur, ut conicere liceat viginti tres seu quatuor annos belli Poenici ita in posteriores libros fuisse distributos, ut libri IV, V, VI. septenos fere annos complecterentur, septimus vero ipsum belli finem. Fragmenta libri sexti complecti videntur foedus cum Hierone rege ictum, pugnam qua elephantes Romanas legiones conterunt, deinde sermo de Romanis esse videtur qui id temporis septimum decimum annum in Sicilia sedebant. Ultimo denique libro Lutatium de pace cum Poenis agentem poeta induxit. Atque hic quidem fortasse quis suspicari possit, quum finis solum in hoc libro narraretur, poetam, ut libri magnitudinem cum ceteris aequaret, absoluto bello Punico primo, breviter et tamquam in transcursu descripsisse res inde ab illo tempore usque ad aetatem, qua carmen edebat, gestas; in qua opinione firmare eum quodammodo posset ille versus contra Metellos compositus. Attamen Naevii liber etsi annalibus sermone non multo praestitit, compositione saltem longe diversus ab iis fuisse videtur, neque ullum aliud extat testimonium quo ad eiusmodi sententiam perducamur. Quin totum illud opus optime distributum atque in se perfectum omnes alias res neglexisse videtur quae non intime connexae essent cum bello Punico.

Quod enim Aeneae errores descripsit non aberravit a recta via, quum illi errores tamquam semen spargerent unde post multa saecula cruentus ille flos belli exortus est. Nec quidquam praeter hos errores et praeter Romae Carthaginisque origines attigisse poeta videtur [1]) sed statim ab origine

[1]) Mommsenus I[b] p. 904 eandem sententiam tuetur dicitque Ennium quoque obscura primae reipublicae tempora omisisse.

ad ipsa belli Punici initia transiluit. Namque propter unum vocabulum „Samnite“ [1]) nemo totam bellorum cum Samnitibus gestorum seriem in nostrum carmen inseret. Simili vero ex caussa qua in medio carmine omnes alias res omisit, censeamus necesse est, illum cum ipsa pace carmen simul ac belli descriptionem finiisse. Nec profecto video quomodo poeta, qui quatuor libris bellum Punicum primum complexus est, ultimo libro potuisset etiam brevissime omnes pugnas omnesque casus colligere quibus Roma ad ultimam fere perniciem propellebatur. Atque inscribitur sane carmen „bellum Punicum“ ut ex hac parte pateat ut etiam secundi belli partem in carmen nostrum inferciamus, sed primum tantum bellum Punicum a poeta descriptum esse nisi hae ipsae rationes satis evincunt, ostendunt duo loci Gellii et Ciceronis quorum Gellii quidem testimonium iam supra attulimus, qui Varronis verba haec fere laudat, Naevium stipendia meruisse bello Punico primo idque ipsum Naevium dicere in eo carmine quod de eodem bello scripserit. Cicero [2]) vero „sit sane Ennius, inquit, ut est certe perfectior: qui si illum ut simulat contemneret, non omnia bella persequens primum illud Punicum acerrimum bellum reliquisset.“ Primum igitur bellum Punicum eiusque origines Naevius carmine descripsit, nihil praeterea.

Itaque quum fines Naeviani carminis descripserimus singulorumque librorum argumentum grammaticorum testimoniis exstruxerimus, licebit iam inquirere, num nonnullis fragmentis quae incertae sedis feruntur, certum aliquem locum designare possimus. Est hoc quidem hariolari, nec deesse puto, qui haec commenta derideant, sed ut illum qui per ruinas ambulat somniare non dedecet sic ille qui fragmenta tractat parum quid fecerit si hanc rem omnino intactam reliquerit.

Priusquam autem priorum trium librorum fragmenta distribuamus, circumspiciendum est quo duce in multiplicibus

---

[1]) Vahl. inc. 13. — [2]) cf. Cic. Brut. 18, 79.

his labyrinthi viis utamur, atque ultro se offert ille qui Danten per inferni tenebras comitatus est Vergilius. „Sane enim adamat poeta, ut ait Servius[1]), ea quae legit diverso modo proferre", quam rem ut demonstret affert locum quem Vergilius ex bello Punico expressit. Idem apertis verbis testatur Macrobius[2]) qui dicit: „In principio Aeneidos tempestas describitur et Venus apud Jovem queritur de periculis filii, et Iupiter eam de futurorum prosperitate solatur. Hic locus totus sumptus a Naevio est ex primo libro belli Punici. Illic enim aeque Venus Troianis tempestate laborantibus cum Jove queritur et secuntur verba Jovis filiam consolantis spe futurorum." Quamquam iidem testes qui nobis Vergilium ducem dederunt continuo fere spiritu nos admonent ne nimis illi credamus, quum saepe mutaverit et res et personas[3]) cuius rei exemplum luculentissimum praebet Servius[4]) qui dicit in Naevii bello Punico Anchisae et Aeneae mulieres noctu Troia egressas esse, quum apud Vergilium nulla fiat mentio mulieris Anchisae; inde non solum sequitur, Vergilium eam silentio praeteriisse, sed etiam, quum ille locus Aeneidis ita instructus sit ut omnes enumerentur qui tum una fugiebant, censendum est, ex Vergilii sententia Anchisae mulierem omnino non fugisse cum ceteris. Et profecto mirum esset si Vergilius semper idem narraret quod Naevius, quum constet, illum multorum librorum lectione inbutum ad suum opus accessisse.

His praemissis Naevii disiecta membra trium priorum librorum illis locis Aeneidos aptare studebimus qui aut eandem aut similem rem describunt. Poeta igitur postquam Musas invocavit (cf. Vahl. 1, 1.) describit nocturnam fugam Aeneae (1, 5.) cuius familiam sequuntur multi alii (1, 6 a.) qui aurum secum portant (1, 6 c). Deinde Aeneas cum patre Anchisa per mare vehitur atque procellis iactatur, in quo periculo Anchises Neptunum precatur (1, 8). Aeneas socios

---

[1]) cf. Serv. ad Verg. Aen. 1, 797. — [2]) cf. Macrob. Sat. 6, 2, 30. — [3]) cf. Macrob. Sat. 6, 2, 30. — [4]) cf. Serv. ad Verg. Aen. 3, 10.

ad tolerandos labores cohortatur (1, 9). Sicut in Aeneide pluribus tempestatibus Aeneas laborat, in bello Punico idem statuere licebit, ut alia fortasse tempestate Venus Jovem patrem oret ut Troianos servet (1. 10). Haec patrem suum supremum adpellat (1, 11) eumque hortatur, se eius esse progeniem (inc. 1. cf. Verg. Aen. 1, 250 Nos tua progenies). Vergilius Aeneam primo statim cursu usque ad Siciliae oram pervenisse narrat, idem iter Naevianus Aeneas fecit, de cuius cognata Prochyta insula, prope Italiam sita, nomen accepit (1, 16) in illa insula fortasse erant illi homines silvicolae bellique inertes (1, 17) nam ne de Italiae aut Libyae populis cogitemus vetant multi loci Vergiliani quibus illae gentes bellipotentes nominantur. Restat fragmentum primi libri decimum octavum, ubi poeta de signis loquitur quae alicui rei inerant expressa. Klussmannus [1]) quum primum cogitarit de Aeneae navibus, censet tamen, imagines navibus non inprimi sed adfigi. Attamen quum unam tantum navem Aeneas habuerit omnino de signis navibus Aeneae inpressis nullus sermo est. Magis vero placet Klussmanno alia explicatio qua statuit, poetam imagines describere quae viderit Aeneas Carthagine in templo Junonis, quae res nobis quoque probatur considerantibus eandem rem in Aeneide occurrere, in fine fere primi libri, ubi Aeneas res Troiae gestas in templo pietas adspicit; atque profecto Atlas, quem nominat fragmentum illud de quo loquimur, in Libyae finibus optimum locum invenit. Hoc si ita est, primus belli Punici liber simili fere modo finitur quo primus liber Aeneidis, narratur enim Aeneam Carthaginem venisse.

In secundo libro, ut supra exposuimus, res Carthaginienses exornantur. In Vergilii Aeneide ipsa Venus Punica fata filio evolvit narratque res a Didone gestas; simile quid fortasse in Naevii carmine erat, nam Naevius quoque dixit cuius filiae fuerint Anna et Dido (cf. Vahl. 1, 12). Deinde Aeneas quum ipsam Didonem videret eiusque mitem animum

---

[1]) p. 46.

sentiret, quieto est animo (2, 1) invitatur a Didone instruunturque epulae (1, 13). Aeneas jubet a navi sibi afferri vestem quam Didoni daret (inc. 4 cf. Verg. Aen. 1, 650). Postea Dido eum percontatur quo modo Troia venerit (1, 14). Aeneas et errores brevi enarrat et ultimae noctis labores exponit qua in narratione cuncti Dardanidae simul inter se rumitant (inc. 6 cf. Aen. 1, 560); in hac nocte Venus nebulam qua plerumque oculi hominum offusi sunt, ab Aeneae oculis dempsit ut deorum numina videret quae Troiam everterent (2, 6 et 7 cf. Aen. 2, 612). Graeci totam urbem atque inprimis Priami domum delent (inc. 2). Deiphobi quoque domum Vergilius (Aen. 2, 311) dicit amplam ruinam dedisse Volcano superante, cum qua re conferri potest Naevii fragmentum inc. 10. Simili audacia fragmentum inc. 12 „quam liquidum amnem" inserimus in illum locum ubi Aeneas dicit sibi penates attigisse nefas esse donec se flumine vivo abluerit (cf. Aen. 2, 720). Praeter haec videntur Carthaginis initia atque opes et Didonis amor erga Aeneam in hoc libro descripta fuisse.

Libro tertio Aeneas iter pergens venit ad litus Italicum ubi augurium accipit. Recte enim fragmentum 1, 2 hoc loco posuisse Klussmannus videtur obsequutus codicum auctoritati, quam rationem Vahlenus, nulla causa addita, vituperat. Bene enim iam Klussmannus animadvertit simile augurium inveniri apud Vergilium [1]), ubi apud Misenum promontorium omen accipit Anchises prope templum; in qua re utriusque poetae narratio eo tantum differt quod Vergilius equorum, Naevius avium omen oblatum esse narrat.

In eodem libro Naevius Romae explicat originem, Romulus oritur ex Ilia, Aeneae filia (2, 3), Amulius rex Albae Longae sororis filium repertum esse gaudet (2, 2) Romulus Aventinum (2, 4) et Palatinum (2, 5) condit. Multa quoque sacrificia sine dubio hoc libro instituebantur quorum uni tribuimus atrocia exta quae memorantur fragmento 3, 1.

---

[1]) cf. Aen. 3, 540.

Haec fere de tribus prioribus libris scimus, quibus continebantur origines illorum populorum quos ceteris libris de re ac vita depugnantes inter sese videmus.

Libro quarto enim bellum indicitur a fetialibus qui scopas atque verbenas portant (3, 2) Marcus Valerius consul partem exercitus in Siciliam transmittit (3, 3). Postea, Regulo consule, Melitam insulam transit exercitus eamque populatur (4, 1) ibi fortasse capiuntur greges, quorum carnem victores comedunt (4, 4). Reliqua huius libri fragmenta res a Regulo in Africa gestas significant; faustis auspiciis dux milites in proelium conmittit (4, 3) volvitur victoria nunc huc nunc illuc (4, 2) pars exercitus iam ab hostibus circumventa est, qua in necessitate cohortatur dux milites ne deserant commilitones (3, 5) omnes vero mori malunt quam cum infamia ad suos redire (3, 4).

Quinto libro certis numeris nulla fragmenta tribuuntur, quum vero liber quartus octo fere annorum spatium complexus sit, credibile est, librum quintum non multo minus temporis spatium continuisse, quae res etsi firmis rationibus demonstrari nequit, fulcitur tamen libri sexti fragmento 1 „septumum decumum annum ilico sedent“ quod melius explicari non potest quam si intellegitur de Romanis qui tot annos in Sicilia tum sederant. Complectebatur igitur hic liber omnia illa damna rei navalis quae passi sunt Romani usque ad annum 505. Itaque ad hunc librum fortasse delegare licet fragmentum inc. 17 „apud emporium in campo hostium pro moene“ quo videntur significari coss. Gn. Servilius Caepio et G. Sempronius Blaesus qui anno 501 aliquot urbes Africae ceperunt. Fragmentum vero 5, 1 recte Ribbeckius [1]) inter comica fragmenta reposuit.

Liber sextus ultimos fere belli annos continet. Fragmentum 1 in initio huius libri fuisse videtur quum quandam prohoemii speciem prae se ferat. Deinde foedus cum Hierone anno 506 ictum subauditur (6, 3) Fragmentum 2 ad Hamil-

---

[1]) cf. Ribbeck com. rel. Naev. inc. fab. 2 p. 21.

carem referimus qui Romanas legiones ubicunque facultas oblata est, carpebat; ad idem fere tempus pertinet fragmentum inc. 9 „fames acer augescit hostibus“ videtur enim innui illa Gallorum manus quae quum ab Hamilcare in Eryce oppugnaretur, acerrima fame cruciabatur. Anno denique 512 Romani iterum classem exstruere ausi sunt, quae res, ni fallor, describitur fragmento inc. 3; cum hac obviam it Lutatius Poenis (6, 4) eosque inprudentes quum multis navibus onerariis ad Siciliam veherentur, vicit atque fugavit prope Aegusam insulam (inc. 5).

Septimo libro ultimus belli annus continetur variaeque conditiones quae de pace ferebantur exponuntur. Quae res si cui minor videtur quam qua totus liber compleatur, licebit illi statuere, Naevium capita rerum iterum ante oculos posuisse atque considerasse gravissimos belli labores et fructus pacis desideratae. Plerique viri docti in ipso fine totius operis ponunt illum locum quo Naevius sui ipsius mentionem fecit (7, 1) sed cavendum est ne nimiam Sachsii nostri similitudinem efficiamus, multo enim est verisimilius Naevium in initio libri exposuisse rationem qua ad scribendum inpulsus sit quam illa ratione totum opus in arena, ut ita dicam, defluxisse. Quam sententiam optime probat quod etiam Ennius in initio annalium narravit, Homerum in somnio sese esse adhortatum ut conponeret annales.

Descripsimus iam totius operis Naeviani conpositionem in qua plerisque fragmentis suum designavimus locum; cetera vero ita sunt instructa, ut ubique fere inseri possint, quare hanc rem arbitrio lectoris relinquimus quem certe non fugit etiam illorum fragmentorum, quae disposuimus, nonnulla aliis locis poni posse, sed longum est nimisque ab re nostra alienum anxio animo pensare quid magis minusve sit probabile.

Quodsi tribus prioribus libris dedimus Aeneae errores originesque urbium, doleo me a doctissimi viri Vahleni aliorumque ratione dissentire. Quum enim Klussmannus quoque tertio libro Anchisae mentionem inseruerit, Vahlenus

(ad fgt. 1, 3) praefracto iudicio illam sententiam reiecit totamque rem, ut vidimus, ita instituit, ut primo libro Aeneae errores, altero Romae primordia narrentur. Quam rationem cur sequi non potuerim, apparuit, credo, ex locis grammaticorum supra allatis, quorum testimoniis etsi parva fides habenda est, tamen ita instituta est studiorum nostrorum ratio ut, nisi hac auctoritate contenti sumus, destituamur omni certa ratione ac via.[1])

Utrum sermo Naevianus multo praestiterit Liviano annon, numve longe relictus sit ab Ennio, nunc nemo diiudicabit quum sine dubio fragmenta ex illo tempore servata multis modis postea usu loquendi mutata sint; nec propterea quod grammatici saepius e Naevii quam e Livii libris antiqua vocabula afferunt, concludere licet, Naevium magis antiquitatem servasse quam Livium; quo diligentius enim scriptores legebant eo plura exempla ex iis hauserunt. Ne de versibus quidem certa stat sententia quum Vahleni pulcerrimi saturnii magis fortasse Vahleniani sint quam Naeviani. Attamen crediderim Naevii versus non cessisse Livianis, quum Naevius uteretur et patria lingua et post Livii curas scriberet. Grammaticos quoque Livii versus saturnios Naevianis posthabuisse patet ex Diomedis[2]) verbis qui Naevium invenisse saturnium versum in honorem dei dicit et ex Plotii loco, qui, omisso Livio, Naevium saturniorum auctorem nominat.[3]) Itaque si Atilius Fortunatianus[4]) vix unum alterumve bonum versum apud Naevium reperisse sibi visus est, hoc certe magis Atilii quam Naevii vitium fuit. Nec propterea quod Ennius saturnios versus nominat quos olim Fauni vatesque canebant[5]) aut quod Horatius saturnium horridum et grave virus adpellat[6]) statuimus illos qui hoc metro usi sint, inconditos versus pepigisse, namque illi

---

[1]) Hermannus quoque elem. p. 629 non audet in hac re librorum fidem spernere. — [2]) cf. Diomedes p. 512 K. — [3]) cf. Plotius p. 2650 P. — [4]) cf. p. 2679 P. — [5]) cf. Vahl. Enn. ann. 7, 1. — [6]) cf. Hor. epp. 2, 1, 156.

acerrimi critici omnino metrum saturnium prae hexametro sprevisse videntur. Acerbius vero nostrum erit iudicium si ad ipsam artem poeticam animum advertimus qua Naevius res describendas ornavit. Quum enim in fragmentis nullum appareat lumen orationis, videtur annalium fere modo res una alteri annexa atque adserta fuisse ut non poetam sed balbutientem historicum audire nobis videamur. Itaque non reprehenderim acerbum id quidem Teuffelii iudicium[1]) qui opus Naevii ieiunum adpellat meramque prosam versibus adstrictam, in qua color qui dicitur poeticus hic illic tantum adpareat in descriptionibus. Ingeniose quoque Th. Mommsenus[2]) Naevii versus quos dicit semiprosaicos comparat cum carminibus quibus medio aevo annales quos chronica dicimus conscribebantur; cui sententiae ipse Cicero adsentitur qui quod in Bruto 19, 74 dicit: „tamen illius quem in vatibus et Faunis numerat Ennius bellum Punicum quasi Myronis opus delectat," latius exponit in Bruto 18, 70 ubi Graecorum signa inter sese comparans dicit „quis . . non intellegit, Canachi signa rigidiora esse quam ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem sed tamen molliora quam Canachi: nondum Myronis satis ad veritatem adducta, iam tamen quae non dubites pulcra dicere." Unde adparet, ipsi Ciceroni qui totam fere Latinam antiquitatem studiose laudare solet, aliquem scrupulum iniecisse belli Punici poesin. Recte quoque Diomedes[3]) iudicavit, qui, quum dicat, epos Latinum primum digne scripsisse Ennium, silentio indicat, Naevium non ita digne scripsisse. Sed deficiat licet ars ornandi, duae saltem res eaeque summi momenti laudandae sunt in Naevii carmine nempe quod Naevius primus patrias res carmine composuit et quod ingeniose totam digessit materiam ut unum carmen efficeretur. Quidquid enim viri docti disseruerunt de poetica aut ubertate aut orbitate

---

[1]) cf. Pauli enc. real. s. v. Naevius. — [2]) I[b] p. 898. Winkelmannus (Wilkius) in novv. ann. 1833 suppl. II p. 559 sermonem quoque duriorem quam Ennii fuisse dicit. — [3]) p. 480 P.

ingenii veterum Romanorum, nullum certum extat testimonium ante Livium continua atque polita carmina Romae fuisse. Livius vero primus epicum carmen condidit vertenda Odyssea Homeri quod quum vidisset Naevius elatus reipublicae Romanae magnitudine iam tum felicem illam aleam iecit ut auderet vere Romanum condere carmen, quo in consilio nullis opibus adiutus solus propriam ingrediebatur viam. Atque sic idem poeta eodem carmine et Odysseam et Iliadem, ut ita dicam, Romanam, errores et bellum civibus suis dare conatus est. Qua in re si quis vituperaverit quod ab ovo coeperit poeta, certe excusationem habebit ipsa materiae natura, namque ipse Naevius quodammodo sensisse videtur, bellum Punicum non esse simile bello Troiano, quum et mythis et heroibus careret belli Punici aetas.

Itaque fausto animi impetu trahebatur ad illud tempus quod carmini epico proprium tribuebat colorem. Quin ipsa Romanarum literarum indole ad Aeneam delatus esse poeta videtur. Quum enim Livius ante paucos annos Ulixis errores narrasset, nihil erat propius quam ut ducis Romani errores narrarentur.

Caussa vero cur non Aeneidem solam scripserit sed parva quadam Aeneide absoluta transgressus sit ad bellum Punicum, est eadem quae in Vergilii Aeneidem Marcelli mentionem intrusit; latet enim hoc in ingenio Romano ut ubique fere ad res sua aetate gestas ducantur.

Sed quum sic aptissima ratione bellum et origo belli connecterentur, unum quoddam fuit Naevii opus, qua re Naevius certe Ennium superavit, licet ille praestiterit et versuum facilitate et elegantia sermonis.

Iure igitur et Naevius hoc carmine delectabatur[1]) et postea Cicero dixit carmen Naevii eiusmodi esse quo delectari possis; quamquam maiorem laudem poeta sibi comoediis meruit, namque et ab Hieronymo nominatur „Naevius Comicus“ et solet fere cum Plauto componi.

---

[1]) cf. Cic. Cato M. 14, 50.

Quum satis iam de compositione, argumento, indole belli Punici dixisse nobis videamur transgredimur ad postremum huius quaestionis locum, quo sedem constituemus quam Naevii carmen in literis Romanis tenuerit.

Atque a Livio quidem Andronico Naevium ad suum opus conponendum inpulsum esse et temporum ratione et toto poesis genere adparet. Attamen praeter hunc primum motum Naevius nihil fere Livio debere videtur, quum omnino aliam rem atque Livius tractarit. Ille enim Graecorum vestigia premebat, Naevius vero primus condidit epos vere Romanum[1]) quod quum Bergkius propter nimiam ruditatem postposuerit Livii Odysseae, hoc opprobrium egregie refutavit Hertzius[2]). Animadvertit enim vir doctissimus, illud fragmentum.

„Namque nullum peius macerat homonem" quod Bergkius Naevio tribuerat ligneumque vocaverat, non esse Naevii sed Livii, ut omnino relabatur tota vituperatio si quidem quis propter eiusmodi minutias alterutrum poetam aut praeponere aut posthabere potest. Recte enim idem Hertzius admonuit, sese in paucis fragmentis Odysseae et belli Punici omnino non videre quid intersit inter utriusque carminis sermonem. Id quoque iam supra attigimus, Livii Odysseae Naevium fortasse debere quod Aeneae errores tot libris exposuerit, sed satis est animum ad hanc rem advertisse, quam intime perscrutari nemo sanus studebit.

Deinde quae ratio intercedat inter Naevium et Ennium Cicero luculenter exposuit[3]) hisce verbis: „Sit Ennius sane, ut est certe, perfectior: qui si illum ut simulat, contemneret, non, omnia bella persequens, primum illud Punicum, acerrimum bellum, reliquisset. Sed ipse dixit cur id faciat: „Scripsere, inquit, alii rem vorsibus etc." et luculente quidem scripserunt etiamsi minus quam tu polite. Nec vero tibi aliter videri debet, qui a Naevio vel sumpsisti multa si fateris, vel, si negas, surripuisti."[4])

---

[1]) cf. Hertz. l. l. p. 217. — [2]) p. 235. — [3]) Cic. Brut. 19, 74. — [4]) Contra Niebuhrium qui in scholl. acc. de hist. Rom. 1, 24 censuerat Ennium omnino omisisse bellum Punicum primum, disputat Vahlenus Enn. p. 55.

Qua in re hoc certe Ciceroni credimus nonnullas res Ennium a Naevio esse mutuatum, quum uterque poeta nonnunquam eandem rem tractaret, sic enim et Naevius et Ennius Romulum Aeneae nepotem perhibent [1]) et uterque doctum fuisse Anchisen adserit [2]) et aliae fortasse res utrique erant communes. Sed quum Ennius primo libro annalium totam historiam urbis conditae, septimo, atque ne hoc quidem toto, ut videtur,[3]) bellum Punicum primum descripserit, ubicunque fieri potuerit, docemur, Ennium Naevio suum reliquisse campum. Utrum hoc fecerit propterea quod satis de his rebus Naevius scripserit an quod noluerit videri Naevium defraudasse, sub iudice lis sit. Rationem ipsam quae inter utrumque poetam intercedit, bene exposuit Vahlenus [4]) qui dicit Ennium si cum Naevio convenisset paucis absolvisse quae Naevius tractasset, magisque eum versari in deverticulis si Naevius res graviores occuparit. [5]) Quin si recte observavit Vahlenus [6]), Ennius Didonis, quam omittere illi licebat, nullam omnino mentionem fecit. Quas res si consideramus nimis acriter Cicero in Ennium hoc loco invectus esse videtur. Sed nos quoque aliquam habemus caussam cur Ennio succenseamus, namque hic ipse Ennius qui Naevium inter Faunos numerabat [7]) in primis effecisse videtur ut Naevii bellum paullatim oblivioni daretur; Ennium enim censebant posteri primum ex amoeno Helicone detulisse perenni fronde coronam [8]) et Ennius epos Latinum primus digne scripsisse iis videbatur. [9]) Itaque cum ipso

---

[1]) cf. Serv. ad V. Aen. 1, 273. — [2]) Hoc elicitur ex schol. Ver. in Aen. 2, 687. p. 90 K. — [3]) cf. Vahl. Enn. p. 59. cf. Winkelm. p. 561. — [4]) cf. Vahl. Enn. p. 57. — [5]) Eandem rationem ex. gr. inter Platonis Menexenum et Periclis orationem funebrem invenisse mihi videor, quum enim Socrates eandem fere rem tractat ac Pericles, quae ille exposuit, breviter attingit, in locos vero apertos orationem effundit. — [6]) Vahl. Enn. p. 25. — [7]) Num verba quoque nonnunquam irriserit Ennius, id quod viri docti censent, in medio relinquo. Quum enim inter Naevii fragmenta legamus „quod bruti satis sarare queunt“ et apud Ennium „Nos ausi reserare“ hoc in irrisionem Naevii dictum esse existimant. — [8]) Lucr. 1, 126. [9]) cf. Diomed. p. 480 P.

saturnio Naevii quoque memoria paullatim defluebat ut solum apud grammaticos vitam degeret. [1])

Hi enim saepe veterum poetarum voces obsoletas in glossaria colligebant. Primi, quantum scimus, e Naevii bello Punico glossas excerpserunt, ut videtur, Cornelius et Vergilius, quae res quamquam demonstrari nequit, tamen similis est veri quum Varro [2]) horum grammaticorum explicationes afferat ad Naevii locum ubi „Luca bos" dubium ei movit. Hunc Cornelium quum antea viri docti commiscuerint cum L. Aelio Stilone, Müllerus in annotatione ad laudatum Varronis locum a Stilone seiunxit atque distinxit.

Vergilius quis fuerit ignotum est. [3]) Ipsas adnotationes horum virorum non nimii pretii fuisse colligitur ex eorum verbis quae Varro laudat. Utrum hi grammatici perpetuos commentarios in poetarum libros scripserint nescimus, sed optimo iure de hac re Ritschelius dubitat.

Nec multo plus scimus de G. Octavio Lampadione quem Suetonius narrat Naevii bellum Punicum divisisse in septem libros. Quum enim Suetonius nihil addat nisi grammaticos tum carmina retractasse eaque legendo commentandoque etiam ceteris nota fecisse, suo iure credit Suringarus [4]) magis anagnostas illos fuisse quam commentatores. Non solum autem libros distinxisse videtur Lampadio, sed etiam totum opus rescripsit propria manu atque correxit, si quidem Naevio eandem operam inpertiit quam Ennio navavit, Ennii enim annales quum emeret A. Gellius illum librum propterea magni aestimavit, quod ab ipso Octavio Lampadione emendatus videbatur. [5])

---

[1]) Quamquam posteriores certe intellegebant et Livii et Naevii carmina. Eiciendus est hic mirus ille error Klussmanni qui p. 101 et p. 206 concludit ex Varr. de l. l. 283 Sp. Livium post XV. annos a suis non iam esse intellectum, quum tamen ibi nihil legatur nisi Teucrum in fabula Liviana post tot annos a suis non esse agnitum. Cuius erroris non meminissem nisi Teuffelius l. l. bona fide eadem in re Klussmannum esset sequutus. — [2]) de l. l. 7, 39. — [3]) cf. Ritschl. par. p. 241. — [4]) hist. crit. schol. Lat. I p. 59. — [5]) Gell. N. A. 18, 5, 11.

Ciceronem delectatum esse luculenta narratione belli Punici supra iam diximus; Horatii vero tempore grammatici una cum Livii Odyssea Naevii carmen in scholis tractasse videntur[1]) qua de re non leniter irascebatur poeta politissimus. Inprimis vero exponendum est qua ratione Vergilius Naevii bello usus sit, qui tamquam „mellificantes apes" undique collegit mel quo carmen suum dulce redderet. Cuius quum iam supra attulerimus illos locos quibus aperte ex Naevii carmine mutuatus esse videtur, nunc tantum hoc admonendum est, nonnullis locis Vergilium aliam famam, alienam a Naevii bello Punico esse sequntum, ne si quando Vergilium atque Naevium inter sese dimicantes viderimus, librorum errorem aliquem suspicemur.

Namque, ut iam supra adnotavimus, Vergilius in libro II Aeneidos [2]) Anchisae uxorem omittit quam dicit Naevius cum ceteris Troia fugisse. [3])

Deinde Vergilius narrat Anchisen fulmine esse adflatum oculorumque lumine privatum [4]), Naevius vero Anchisen aves vidisse narrat. [5])

Unam quoque navem quam Mercurius fecerit, Aeneam habuisse narrat Naevius [6]) quum viginti naves norit Vergilius. Postremo, ut quidem nos coniecimus, Anchises cum Aenea et Carthaginem et in Italiam venit, in qua re consentit Naevius cum Catone [7]) et cum Dionysio Halicarnassio, [8]) quum tamen Vergilius eum in Sicilia mortuum esse narret. Atque sic fortasse multis aliis rebus Vergilius aliter rem suam instituit ac Naevius; ut enim unum exemplum proferam, non credo Aeneam a Naevio ad Actium promontorium tractum esse ubi Vergilianus Aeneas tanquam in honorem Augusti tropaeum statuere a poeta cogitur.

Ceterum nisi iam Ennius bellum Punicum oblivione obruisset, Vergilius certe effecit ut eius memoria plane in-

---

[1]) Pro certo hoc affirmari nequit ex Hor. epp. 2, 1, 52 ut fecit Stievius p. 89. — [2]) vr. 760 sqq. — [3]) cf. Serv. ad Aen. 3, 10. — [4]) cf. Verg. Aen. 1, 621. — [5]) cf. Procl. in Verg. Ecl. 6, 31 p. 14 K. — [6]) cf. Serv. ad Aen. 1, 170. — [7]) cf. Serv. ad Aen. 1, 574. — [8]) 1, 64.

termoreretur. Tamen grammatici diligenter pergebant singulas voces Naevianas explicare inde a Varrone usque ad grammaticos christianos quorum multi ne viderant quidem bellum Punicum quamquam id certe etiam Macrobii aetate extitit. Ille enim:[1]) „Sunt, inquit, alii loci plurimorum versuum quos Maro in opus suum cum paucorum inmutatione verborum a veteribus transtulit. Et quia longum est numerosos versus ex utroque transscribere, libros veteres notabo ut qui volet illic legendo aequalitatem locorum conferendo miretur.“ Deinde comparat locum Aeneidis et belli Punici. [2])

Praeterea nihil certi de fatis belli scimus. Quod enim Cramerus [3]) adfirmat extitisse Naevii carmina etiam saeculo post Christum natum XIII. res nimis lubrica est, quam cui fidem habere liceat.

---

[1]) Sat. 6, 2, 30. — [2]) Winkelm p. 559 ex Gellii verbis „idque ipsum Naevium dicere“ concludit bellum Punicum tum non iam extitisse quamquam concedit fieri posse, ut Gellius id tum nondum legerit aut ante oculos non habuerit. — [3]) Cramerus bibl. dom. p. 223 narrat sese in bibliotheca sacra metropolitanae ecclesiae Pragensis ad S. Vitum vidisse Statii librum, cui in fine adscriptus fuerit index variorum librorum, saec. XIII compositus. In illo indice et Ennii et Naevii nomina invenit.

Tota dissertatio proximis diebus apud eundem bibliopolam edetur.

VITA.

Ego Maximilianus Josephus Berchem, fidei adscriptus Romano-Catholicae, natus sum Novesii in Rhenania, a. d. XII. Cal. Febr. anni MDCCCXXXVIII, parentibus Joanne Jacobo Berchem et Catharina Duenbieriana. Infans cum patre, qui erat munerum publicorum quae dicimus indirectorum inspector Guetzlariam petivi unde anni fere spatio intermisso Kempas sumus reversi anno MDCCCXXXXIV.

Biennio post fato acerbissimo orbatus sum patre dilectissimo cuius memoriam semper vivam in animo servabo. Matris igitur tutelae creditus Kempis primis literarum elementis inbutus sum, quae nunquam fortasse transgressus essem nisi casibus insequentibus extitisset vir qui firmum ferret auxilium. Namque mater desiderata fine anni XXXXIX repente in gravissimum morbum incidit qui etiam nunc eam tenet in lectulo. Tum vero rev. vir Kesselius, qui id temporis erat capellanus nunc vero propter iusta merita pastor factus est, et matri aegrotae solatium tulit et me lectionibus privatis instituit effecitque ut anno LI acciperer in tertiam classem Gaesdonckiae. Gaesdonckia est seminarium, conditum ab episcopo Monasteriensi, in quo pueri educantur liberalibusque artibus instituuntur quinque annos, quo tempore peracto quamquam institutum in Rhenania situm est, privilegio regio alumni Monasterii Guestphalorum maturitatis examen subeunt. Sic ego quoque, quum inprimis viri rev. Dr. Wennemeri opera satis essem instructus auctumno anni LVI cum sodalibus Monasterium me contuli ibique, adeptus maturitatis testimonium, civibus academicis adscriptus sum a rectore magnifico illius anni viro ill. Deycksio. Ibi quater sex mensium spatio interfui scholis philologicis

virr. ill. **Deycksii** et **Winiewskii**,
philosophicis virr. ill. **Clementis** et **Schlueteri**,
historicis viri ill. **Rospattii**,
mathematicis etc. viri ill. **Heisii**,

botanicis etc. viri ill. **Karschii,**
physicis viri ill. **Hittorfii,**
theologicis viri ill. **Bispingii,**
annum quoque et dimidium seminarii philologici eram sodalis. Viris omnibus supra nominatis maximam habeo gratiam inprimis Winiewskio et Deycksio, neminem tamen maiore amplector reverentia atque amore quam Schlueterum qui quum filii fere loco me haberet praeter multas alias res pro quibus ei semper gratia devincior, admisit, me ad gratissimos illos circulos quibuscum thesauros et animi et ingenii communicare solet. Monasterium reliqui auctumno anni LVIII profectumque Gryphiswaldiam in almae huius universitatis civium numerum recepit me rector magnificus illius anni vir ill. Haeser. Tribus semestribus quae inde peracta sunt audivi scholas philologicas consiliarii intimi viri ill. Schömanni et virr. ill. Hertzii et Susemihlii, germanicas atque linguisticas viri magnif. Hoeferi, huius anni rectoris historicas viri ill. Schaeferi. Gryphiae quoque per tria semestria seminarii philologici eram sodalis, praeterea interfui societati Latinae Hertzii, Germanicae Hoeferi, historicae Schaeferi necnon societati privatissimae in qua, dirigente viro ill. Susemihlio, Aristotelis Metaphysicam tractavimus. His viris omnibus ut dignam referam gratiam non sufficit scriptae vitae spatium sed dum vivam grato animo beneficiorum ab iis in me conlatorum meminero. Nec licet mihi hic singulis quibusdam praecipue gratiam referre quum omnes deinceps iterum nominandi essent.

Postremo quum nunc ad finem academicorum studiorum pervenerim liceat mihi illorum quoque memoriam celebrare quorum coniunctis opibus mihi licebat studia absolvere, fratrum dilectissimorum Alfredi, Francisci, Rudolphi et Henrici Gatzenmeieri, sororis mariti, quos colere atque amare nunquam desinam.

THESES.

1. Mythos quibus Livius et Naevius in tragoediis usi sint non fuisse iam antea Romae propagatos sed petitos esse ex Graecis tragoediis.
2. In Quintiliani J. O. X, 1, 38 legendum esse „quotquot contulerit.“
3. Apud Livium II, 14 legendum esse:
   „ea deinde, ne populo inmisso diriperentur, venisse.“
4. In Pervigilio Veneris v. 15 B. lego:
   „urget in nodos pennatos“
5. Ibidem v. 90. B legendum propono:
   „Quando faciam ut tu Chelidon, ut tacere desinam.“
6. Hexametrum non esse alienum a lingua Germanica.
7. Menexenum esse Platonis.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 093 387 4

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 093 387 4